

INCANTATIONES

Canis alba lacrimat

Post mortem pauperis domini
canis alba ex horto domoque extrusa
nunc sola fame macerata
prope alienam sedet ianuam
interdum edens tristes gannitus
quia sortem nigram domini non defleta
insuper frustra lacrimat
catellos manibus vicini abreptos

Et canis alba etiam sub vesperum
non potest plorare lacrimis
afflicta ut mater sola
dolore tristi confecta

Recordationis ventus

Recordationis ventus invisibilis
tot dierum praeteritorum
risus moventis veris
in undis maris
in facie florum
in corde hominis
in ramis arborum
nunc vult alis corvorum abripere
Quomodo poeta possit laeta canere?

(1963)

De pictore invisibili

Ab horis matutinis usque ad vesperum
calcat viam pictor invisibilis
et per prata gradiens
et in pomaria iniens
amoenos pingit flores

Et nos videmus pictas imagines multas
in amoeno ruris zagrebiensis prospectu

Passus incerti

Cor maestum passus incerti
in hortum duxere
ut inter ramos florescentes
lucem albam lunae videret

Manus trementes ramum
cum floribus tetigere
et statim anima cum corde fit candida
Imo praesensio veris tota nunc est nitida